PROSPERITATIS GERMANIÆ

QVINTA PARS

Dilucidè, & ſolidè demonſtrans, ac quaſi digitis oſtendens, quid Alchymia ſit, & quid ejus adjumento commodi paſſim, & plæriſque in locis Germaniæ acquiri poſſit.

In Dei omnium bonorum datoris præcipuè, cunctorumque Patriæ Magnatum honorem atque his ipſis debita pietate & obedientia ſubjectorum Incolarum ſalutem, emolumentum, & contra hoſtes extraneos auxilium, conſcripta, & in lucem edita, ſtudio & opera.

JOANNIS RUDOLPHI GLAUBERI.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno CIↃ IↃC LX.

Digitized by Google

PROSPERITATIS GERMANIÆ

QVINTA PARS,

BENEVOLE LECTOR.

SIcuti mandatum Dei ſerium liberis quibuſque injungit, ut parentes ſuos amore debito proſequantur, iiſque debitâ obedientiâ in omnibus licitis, & æquitate conſtantibus rebus ſe ſubjiciant, debitamque fidelitatem præſtent; Ita etiam à quovis debito obſequio Magiſtratibus ſuis obnoxio ſubdito poſtulat, ut fideliſſimo obſequio ipſis, tanquam Patriæ Patribus, quibus omni fidelitatis jure devinctus eſt, in omnibus æquitatis fines non tranſgredientibus rebus, libentiſſimè pareat, ac pro virili ſuâ in commune conferat, quicquid ad ipſorum tutelam, & defenſionem, ac hoſtium rejectionem, & depulſionem requiritur.

Hujus muneris, unumquemque ſubditum ſuo Magiſtratui devincientis, ratio incitavit me, ante quadriennium, grave illud & ſubitum incendium quod Poloniæ regnum ferè totum peſſundedit, videntem, atque ideò verentem, ne ulterius ſe

dilatando etiam Patriam noſtram detrimento afficeret, ut libellum, inſcriptum titulo Primæ Partis Proſperitatis Germaniæ, edendum curaverim. In eo docui, quo pacto maxima Vini & Frumenti copia ita concentrari queat, ut facili negotio præſervata & conſervata, anguſtiis temporum futuris communi uſui ſummo cum emolumento, inſervire poſſit: Monſtravi quoque aliarum nonnullarum artium, Patriæ communi utiliſſimarum, rationem & modum, inter quas haud poſtrema eſt illa Salispetræ, ex veteribus & putribus lignis, conficiendi cognitio, quæ copiam ejus ingentem ſufficere valet. Dum de Patriâ, & omnibus bonis benè merendi hoc ſtudium me occupatum tenet, ecce tibi Satanas, quietis impatientiſſimus, ut tanti operis conatui ad effectum deducendo remoram objiceret, & communi hominum ſaluti impedimento foret, confeſtim duo peſſima excitavit inſtrumenta, quorum adminiculo tàm utiliſſimas res ſupprimere, & humano generi ſubtrahere tentavit. Farnerum dico, & Hartprechtum Filii Sendivogii nomen falſo ſibi arrogantem, qui primi convitiorum plauſtris advectis, Primam Proſperitatis Germaniæ Partem, juxta cum aliis meis, utilitate & doctrinâ refertis Scriptis, contempſerunt, convitiati ſunt, & mendaciorum ac fallaciarum redarguerunt, ſolâ invidiâ, & ſolo odio acti, quibus contra me inflammati ſunt.

Ac licet me ipſis oppoſuerim, & meorum Scriptorum bonitatem, & veritatem ſatis liquido demon-

monſtraverim, deſenſio tamen mea locum apud paucos invenit, adeò ut vulgari more, quo hominum credulitas facilius & libentius malis quam bonis rebus fidem adhibere ſolet, Farneriana Mendacia plus fidei apud plæroſque invenerint, quàm Veritas Glauberiana, quæ tali pacto accepta, tantæ iniquitati obviam ire, eandemque impedire nequivit. Cum igitur ſatis cauſæ tunc temporis haberem, ut in Patriæ commodum nihil amplius in poſterum divulgarem, ſi par pari referre, & malo malum compenſare voluiſſem; de convitiis tamen, iniquiſſima ipſorum nequitiâ minimè laborans, porrò Proſperitatis Patriæ Secundam, Tertiam, & Quartam Partem Primæ ſubjunxi, in quibus ut Patriæ commodo, & ſaluti inſervirem, magnorum theſaurorum Metallicorum inquiſitionem, & acquiſitionem revelavi. Ludibrio tamen cuncta habentur à plurima parte hominum, atque forſan ideo, quia Midæ aſininas auriculas arrigentes, hactenus auditores & auſcultatores, inter Orphei Liram, & Panis paſtoritiam fiſtulam malè judicarunt. Quid igitur conſilii? Nihil profectò aliud reſtat, quàm ut, Lirâ ſemel adhuc concentui debito accommodatâ, Jovi utriuſque partis, ſuo Muſico inſtrumento ludentis, Orphei nimirum, & Panis melos audiendum, & dijudicandum exhibeatur. Nullum enim dubium eſt, quin utriuſque cantu audito, juſtiſſimus ille judex Jupiter, meliore & juſtiore judicio, ac æquiore ſententiâ hanc litem deciſurus

ſit, Midæ forſan Aſini auriculas, & Orpheo Lauream coronam impoſiturus.

Ut autem probè intelligar, ac propoſitum meum rectè percipiatur, hoc ſcire omnes velim, illud mihi jam me firmiter propoſuiſſe, nihil amplius de Patriæ Proſperitate in poſterum in lucem emittere, verentem, ne hoc pacto porcis Margaritæ objiciantur, & panis, ad liberos pertinens, canibus concedatur, ac interea nihil aliud commodi acquiratur, quàm hactenus iis factum eſt, quorum revelatio non modo ſine fructu & utilitate abiit, ſed etiam malorum hominum ludibriis & ſannis excepta eſt. Propterea aliam excogitavi rationem, ante obitum Patriam adhuc beneficio haud exiguo afficiendi, cum quâ ita comparatum eſt.

Primo toti Terrarum Orbi hoc opuſculo innoteſcat velim, in animum me induxiſſe, utiliſſima & præcipua Secreta, de quibus partim apertè, partim obſcurè, in quatuor iſtis Partibus Proſperitatis Patriæ egi, hujus anni decurſu, in Laboratorio meo Publico, & Privato, Summis & Imis demonſtrare. Eum in finem potiſſima, & maxime neceſſaria requiſita jam in promptu ſunt, totoque apparatu conquiſito & parato, dicta Patriam maximis commodis affectura arcana, præcipuorum Magnatum delegatis, aliiſque honeſtis Patriæ civibus & viris ad oculum demonſtrabuntur. Ex his Arcanis maximam utilitatem afferentibus ſequentia tria ſunt præcipua.

Primum

Primum eſt; ex contemptis & ubique obviis ſubjectis bonum Salem petræ parare.

Secundum; Salis petræ adjumento fugitivum, & fixum Aurum, Argentum, & Cuprum, ſine ullâ per ignem liquatione & fuſione, ex mineris ſummâ cum utilitate, & ingenti emolumento, facile & copioſe extrahere.

Tertium, quod oſtendetur, erit Veritas & certitudo Alchymiæ, quæ non inane ſomnium, deceptoria Phantaſia, aut fallacia, eſſe probabitur, prout hactenus maxima Oſorum & Ignorantium turba ipſam convitiatur; Sed veriſſimum & maximi momenti artificium, cujus Igne & Sale utentis adminiculo, omnia contempta, & non magni lucri Metalla, & Mineralia, qualia ſunt Plumbum, Ferrum, Stannum, Biſmuthum, Coboltum, Zincum, Lapis Calaminaris, Marcaſitæ, omneſque aliæ fugaces mineræ ita poſſunt figi, & maturari, ut paucis impenſis, & ſummâ cum utilitate, multum Auri & Argenti veri, & conſtantis, ex ipſis elici queat.

Hæc tria magni profecto momenti Arcana, meo quidem judicio, digna eſſent, quorum revelatione Magnates, & principes, aliique communis Patriæ Patres, participes redderentur.

Eorum utilitatem incredibilem, ut quilibet, aliquâ duntaxat ratione, percipere poſſit, paucis eandem verbis illuſtrare, operæ pretium duxi.

Primò ad Salempetræ quod attinet, quàm utile, & quam neceſſarium Subjectum ſit, toti Mundo

innotuit. Ejus tanta copia nunquam ſuppetere poteſt, ut ad uſum non modò neceſſarium, ſed etiam emolumentum grande afferentem adhiberi, & uſurpari non poſſet. Taceo maximum ejus uſum, & maximam utilitatem in parando pulvere pyrio, quo in patriâ defendendâ, & propulſandis hoſtibus, nulla Regna, nullæ Reſpublicæ carere poſſunt. Et ſi hic uſus deeſſet, maximi tamen momenti ille foret, qui Auro & Argento, ex pauperioribus mineris, fuſionum & liquationum impenſas non ferentibus, eliciendo maximum emolumentum parit, nunquam tamen tantum Auri & Argenti ſubminiſtraturus, ut Patriæ utilitati eſſe nequeat. Imò ſi nec pulveris pyrii, nec Auri, nec Argenti ulla indigentia foret, (quod tempus tamen, unde & quando adventurum ſit, non video) Panis tamen inopiâ laborare non poſſumus, & vini, frumenti, ac fructuum arboreorum copia, quantumvis magna, nunquam nimia eſſe ſolet. Frumenta & ſemina ante ſationem Salepetræ macerata, ejuſque liquore admodum pauco vitium & arborum radices imbutæ, non ſolum copioſius creſcunt, verum etiam fructus copioſiores proferunt, longe citius matureſcentes, & ſaporem ſuaviorem acquirentes, quam ſi fœtidus ille Vaccini ſtercoris liquor affuſus fuiſſet. Si igitur Salpetræ, Subjectum tàm excellens, quo neutiquam carere poſſumus, ex lignis & lapidibus paratu adeo facilis eſt & copioſus; Si ſuprà cuncta alia media paſſim terram fertilem reddit; ſi ex contemptis

arenis,

arenis, & lapidibus Aurum & Argentum copioſum & verum elicere novit, quid ab ipſo amplius poſtulare auderemus, niſi ſanum, & bona valetudine fruens corpus, ut tantis muneribus à Deo conceſſis, quiete & pacifice nobis, optimâ corporis valetudine utentibus, frui liceat? Sed & eandem hanc valetudinem, cum vitâ longâ, idem hic Sal, Miraculum Mundi jure appellatus, conferre & largiri poteſt.

Alchymiam ipſam, ſive minorum Metallorum in majora tranſmutationem, & in Aurum atque Argentum transformationem non vana ſomnia, & omni ratione carentes opiniones eſſe affirmo, ſed veritatem ipſam, plurimis experimentis ſtabilitam, cujus demonſtrationem, Divino auxilio, hac æſtate publicis & evidentibus experimentis expediendam, & in Patriæ commodum adhibendam, non temere ſed conſulto aggredior.

Quoniam igitur ferro, plumbo, ſale, ut & aliis mineralibus materiis, & contemptis ejuſmodi ſubjectis, Patria ubique diſtenta eſt, & jam tamen nihil ex ipſis commodi percipit; fieri profecto non poteſt, ſi ubique locorum officinæ tales fuſoriæ conſtituerentur, quin paucorum annorum decurſu, ingentium theſaurorum homines compotes futuri ſint. Quis novit, quid Deus facturus ſit, & annon futurum eſſet, ut de Patriæ Magnatibus dicatur, quod de Rege Salomone in Sacris dicitur; Et Argenti tantam faciebat copiam, quanta lapidum in plateâ occurrit, &c.

Ut autem Veritatis ſtudioſo oculos magis aperiam, & oſtendam, quo pacto cuncta hæc evenire & vera evadere queant, ipſum hiſce certiorem reddo; quod ad hanc, de quâ loquor, fuſionem Metalla jam pura, ut Ferrum, Plumbum, Stannum, non neceſſaria ſint, ſed jam maturata ad alios uſus adhiberi queant: Fuſioni autem & operationi dictæ ſufficiant vulgares illæ & Sulphureæ mineræ plumbeæ, quæ ad reddendum Plumbum utile & venale, non idoneæ comperiuntur; Mineræ item illæ Ferreæ, & Cupreæ, ex quibus Naturâ, fuſioni nulli aptis & idoneis, Cuprum aut Ferrum fuſibile, & mallei patiens elici nequit. Illa enim ipſa operatio nullius Cupri, Ferri, aut Plumbi indiget, ſolis contenta mineris iſtis pauperibus, atque ſolo Sale, quibus Terra ubique adeò repleta eſt, ut nullarum materiarum ad operationem talem perficiendam inopia unquam timenda ſit.

Imò ſi ignorantium Aſinorum impudentia ora, & calumnias impudentiſſimas non vererer, audacter, & verè aſſererem, omninò fieri poſſe, ut ex communi Sale culinario (Vitriolum, & alios Sales Minerales taceo) haud abſque emolumento, verum & naturale Aurum eliciatur. Hoc fieri omninò poſſe, in Appendice mea Generali quæ cuncta mea ſcripta hactenus edita clarioribus notis elucidabit, demonſtrabo, rationemque aperiam, quâ probum Aurum ex aquâ marinâ, in calidioribus iſtis regionibus, acquiri valeat.

Sed quid opus eſt, ut de his ignotis, & adeò pro-

profundè abſconditis Naturæ Arcanis, multa verba faciam, qui jam in Secunda Miraculi Mundi Parte ſatis apertè docui, quo pacto, ex quavis herbâ, purum putum, & naturale Aurum eruatur. Hoc antè annum in præſentiâ Doctiſſimorum Profeſſorum, Medicinæ Doctorum, aliorumque tàm Nobilium, quam Ignobilium Virorum in meo Laboratorio publice demonſtravi, ut ipſorum teſtimonia, quæ in promptu ſunt, affirmant. Iis tamen non opus eſt, cum modus ipſe operandi, typis publicis exaratus, unicuique pateat, & vix unius anni ſpatium elabi poſſit, quo vel mille aut pluribus hominibus, ipſum operando imitari, & rei veritatem ipſam inquirere liceat. Sed hîc proculdubio, fiſtulâ ſuâ mendaci, Farnerus cantilenam conſuetam occinet, dicturus; Mendaciorum & fallaciarum plena eſſe verba; quas calumnias cæteris meis Scriptis etjam occinuit. Idem faciet Harprechtus, falſo Filii Sendivogii titulo ſuperbiens, qui jam ante auſus eſt dicere: Cavete vos Fratres à libris Sophiſtarum, & inprimis moderni I. R. G. &c. quem contemptum, & quam admonitionem, à veritate cavendum eſſe, jubentem Satanas mendaciorum pater, & omnis odii atque invidiæ origo, ipſis inſpiravit; atque ita his ſuis inſtrumentis lumen Veritatis exſtinguere molitus eſt.

Ego Glauberus contra jure ac merito dicere poſſum; Vos ſtudioſi Veritatis, cavete vobis à

 Spiri-

Spiritibus mendacibus, Farnero & Johanne Harprechto Starck, antehac Salomon Angel nominato, qui Angelos lucis mentiti, vos à vera via Veritatis, in tenebras abducere ſatagunt. Ne patiamini vos ſeduci, & à Veritate abduci; ſed prius videatis, num melior vobis via monſtrari poſſit, quàm ea, quæ hactenus à me monſtrata eſt. Si quid melius, & firmius vobis oſtenderint, ipſis fidem adhibendi occaſionem habebitis, ſin minus, digni ſunt, quibus omnem fidem abrogetis. Hæc bonum & malum diſcriminandi cauſa, dicta ſunto. Deum mihi ſpero tantum roboris, valetudinis, atque ingenii largiturum, ut in honorem, veritatis confirmationem, & Patriæ emolumentum, veram, omni fallaciâ carentem, & maxima commoda afferentem Alchymiam, ſive imperfectiorum Metallorum in verum, ac purum putum Aurum tranſmutationem, veris demonſtrationibus publice, hoc æſtivo tempore, demonſtrem.

Equidem hic de talibus rebus, imò tam mirabilibus rerum tranſmutationibus ſcribo, de quibus hactenus nemo quicquam literis mandavit. Proinde tamen nemini arripienda eſt anſa dicendi; Res eſſe, quæ nunquam fieri poſſint. Multa ſunt admiranda, quæ Natura hactenus occulit, mihi & tibi ignota, ac forſan, ob præſentis Mundi malitiam, non tàm citò ad hominum cognitionem perventura. Unuſquiſque dies ſuis affligitur ærumnis, & ſemper aliquid

novi,

novi, ſive bonum ſive malum fuerit, producens, temporis & Naturæ fructus patefacit.

Pauca ſunt mihi momenda de iis, quæ in Dei honorem, & Patriæ gratiam, hoc æſtivo tempore, in meo Laboratorio demonſtranda, & oſtendenda conſtitui.

Unumquemque igitur amicè rogatum volo, ut de meo opere ſuſcepto immaturum præjudicium omittens, patienter exſpectet, donec conſtitutum tempus elapſum fuerit, quo elapſo res ipſa, Deo volente, loquetur, & proprio ſuo patrocinio ſe tutabitur.

Quo autem Benevolo Lectori aliquanto plus lucis affulgeat, & ipſe videat, quibus fundamentis ſuſceptum meum opus innitatur, neceſſarium omninò duxi paucis ob oculos ponere, quid ipſa Alchymia ſit, & an aliquod in Naturâ & arte fundamentum habeat. Nam ſi quis ingenio præditus alicui herbæ, animali, aut homini, nomen aliquod imponit, illud certè non temere, aut abſque ratione facit; ſed probè perſpectum atque cognitum habet, quâ de cauſâ hoc, aut illo nomine, rem aliquam inſigniat; quod præcipuè ideò fit, ut ex ejuſmodi nominibus herbæ, animalis, aut hominis alicujus natura & proprietates cognoſcantur. Exemplis res fiet manifeſtior.

Cur Medici, & Philoſophi Veteres, herbam Perforatam hoc ipſo nomine appellarunt? Quia ejus

ejus folia multis parvis foraminibus pertuſa, atque ita à Natura ſignata docent, ejus vires in tollendis & curandis externis, & internis punctionibus, & vulneribus corporis inſignes eſſe, id quod ipſa experientia teſtatur.

Quam ob cauſam nonnullæ herbæ Saxifragæ nomen gerunt? Earum natura eſt, creſcendo lapidum cumulos, & veteros muros penetrare, & extreſcentiâ ſuarum durarum radicum diffindere, & diffringere. Ipſarum ſemina quoque minutiſſimis arenis ſimilia, aliquo modo calculoſam, & lapidoſam, in humani corporis renibus, & veſica, materiam confringunt, & educunt.

Sic ſerpens, à ſerpendo ſibi nomen adſcivit, quia pedibus carens, per terram ſerpit, & proreptat.

Sutor à calceis conficiendis, & conſuendis appellationem ſuam nactus eſt.

Fabrum Ferrarium Aurifabri nomine non compellabimus, quia opus ſuum non ex Auro, ſed Ferro conficit, & à Ferro, quo occupatus eſt, appellationem ſuam ſibi acquiſivit.

Idem intelligendum eſt de vocabulo Alchymiæ, quod nihil aliud notat, quàm fuſionem & liquationem Salis, atque ita docet, quam ob cauſam Veteres, Metallorum Tranſmutationem Alchymiam nuncupaverint: nimirum ob Salis fuſionem, aut liquationem, ſine quâ viliorum

Metal-

Metallorum in meliora tranſmutatio particularis peragi, & perfici nequit. Non igitur temerè & inconſulto Alchymiæ nomen à Veteribus Philoſophis inditum eſt. Tranſmutationi Metallorum, ſicut Aurifabro ab Auro, quo occupatus eſt, nomen ſuum obtigit. Nomen igitur apertè innuit materiam, ignobiliora, in nobiliora Metalla, tranſmutantem,. Salem nimirum, qui tanquam Univerſale Agens, non ſolùm in ipſis terræ viſceribus, Metalla operatione naturali prognata, ſed etiam eadem extra terram, artis operatione, maturat, & ad perfectionem debitam perducit. Solus Sal, ſoluſque Ignis ad Metallorum immaturorum maturationem, & tranſmutationem ſufficiunt. Sal enim, tanquam agens, ab Igne impellitur, ut in Metalla vires ſuas exerat, & vires exercendo eadem meliora & nobiliora reddat, ſicut Paracelſus in Cœlo Philoſophorum apertè teſtatur, dicens, quod Corporalis Metallorum commixtio, quamvis longo tempore commixta, in fuſione conſerventur, ne minimum quidem ad eorum tranſmutationem conferre queat, aut ſoleat: Sed ſi aliquâ emendatione Metalla perficienda ſint, ipſa Spirituali commixtione conjuncta, ad ſperatam emendationem perveniant, quod maxime veritati congruit, & aperte ſignificat, ſine Salino Agente, & Igne Metallis, ad particularem emendationem, & tranſmutationem, pervenire non licere. Elias Propheta, cujus nomen inverſum vocem Salia legendam exhibet,

bet, non ante maxima ſua miracula operatus eſt, quam in Zarpath, ſive Sareptam, i. e. in tabernam fuſoriam veniret, ubi pauperis viduæ amphoras olearias replevit, ut in annonæ caritate vivere potuerit. Quamdiu enim Terreſtres Sales in ſterilibus & ſaxoſis montibus, in quibus, præter juniperi frutices, nihil aliud naſcitur, deliteſcunt, & ab Aſtris aluntur, miracula edere non poſſunt, ſed ea tum demum edere ſolent, quando in officinas fuſorias perveniunt.

Ita enim cum Sale comparatum eſt, ut in Zarpath, i. e. officinam fuſoriam perveniens, tantum efficiat, ut non ſolum amphoræ oleariæ, ſed etiam cellæ, & horrea copioſe repleantur, præcipue verò quando debiti Sales Elias & Eliſa conveniunt, & Elias igneo curru in cœlum vectus, ab Eliſa ſegregatur, atque Spiritum ſuum duplicatum in Eliſam ſocium ſuum remittit, quo Eliſa corroboratus, & plus virium acquirens, quàm anteà habuit, majoribus, & potentioribus operationibus idoneus redditur.

Inter maxima autem miracula hoc emicuit, quod poſt Eliſæ Prophetæ ex hâc vitâ diſceſſum, alius homo mortuus in ipſius ſepulchrum conjectus, oſſium ipſius attactu, vitæ reſtitutus fuerit.

Sicut igitur per divinam vim hoc miraculum ſupernaturaliter contigit: Ita etiam naturaliter noſtri Salis Mirabilis, duplici Spiritu corroborati, viribus, non ſolum emortuum, & in carbonem

ab

ab igne converſum lignum, quando ad alba noſtri albi Salis Mirabilis oſſa, in ſepulchrum, i. e. in ollam terream, aut crucibulum conjicitur, ſpatio quadrantis unius horæ ad priorem ſuam viriditatem & vitam reduci, ipſoque illo viridi lignorum liquore reliquæ ſemimortuæ arbores, ut & aliæ ſimiles res, præ cæteris cunctis, viriditati, & incremento, ac fertilitati priſtinæ reſtitui poſſunt; ſed etiam varia inſecta mortua, ſi Sali noſtro mirabili adjungantur, vitam recuperare valent. Ac licet hoc alicui novum, inauditum, incredibile, & plane paradoxon videatur, tamen tàm verum eſt, quam quod veriſſimum, cujus operationis verum modum, Deo volente, luculenter in Primâ meæ Appendicis Generalis Centuriâ deſcripturus, & demonſtaturus ſum.

Quanquam autem jam mirabiles hæ, *Salis* mei Mirabilis, Operationes tales videri queunt, ut nunquam effectui dari poſſint, omnibus tamen iis, quibus ejuſdem compoſitio innotuit, res eſt factu admodum facilis. Fieri autem non poteſt, quin divina Miracula mei Salis Mirabilis adjumento magis ac magis patefiant, latè admodum ſpargantur, & ignorantibus innoteſcant. Hoc facto longè aliam de Alchymia opinionem Mundus concipiet, & longè aliud judicium feret, quam hucuſque tulit.

Ut autem Divinorum & Naturalium Miraculo-

culorum admiratoribus in conſpectum veniat; quouſque ſe extendant ea, quæ hactenus indicavi, non poſſum, quin hic ſubjungam Hermetis omnium Philoſophorum Parentis Opus Solare, ſive Tabulam Smaragdinam, quam meo judicio huic meæ diſſertationi accommodatam illuſtrabo.

Compendio dicam: Indicavi hîc breviter, ſi à vero Sale Spiritibus, fortis ignis auxilio, elevetur, aut ſublimetur, aut corpori ejus ſubtrahatur, & eidem ſuo corpori fixo relicto reddatur, & legitimo modo reſtituatur, Sal ille fixus duplices vires, ac duplex robur acquirens, ſicut de meo Sale Mirabili indicatum eſt, mirabilia præſtat, quæ nobis Hermes his verbis, & Baſilius proximè ſequentibus, innuit.

TABU-

pag. 19.


Viſita
Interiora
Terræ
Rectificando
Inuẽnies
Occultum
Lapidem

TABULA SMARAGDINA HERMETIS.

VERBA SECRETORUM HERMETIS.

VErum hoc eſt, & ab omni mendaciorum involucro remotum; quodcunque inferius eſt, ſimile eſt ejus, quod eſt ſuperius; per hoc acquiruntur & perficiuntur Mirabilia operis, unius rei. Quemadmodum etiam omnia ex uno fiunt, per conſiderationem unius. Ita omnia ex uno hoc facta ſunt per conjunctionem. Pater ejus Sol eſt, mater Luna, ventus in utero geſtavit, nutrix ejus eſt terra, mater omnis perfectionis. Potentia ejus perfecta eſt. Si mutatur in terram, terram ab igne ſeparato, ſubtile & tenue à groſſo & craſſo, & quidem prudenter cum modeſtia & ſapientia. In Cœlum hoc à terra aſcendit, & à Cœlo rurſus in terram deſcendit, & potentiam ac efficaciam ſuperiorum & inferiorum recipit. Hoc modo acquires gloriam totius mundi: Propulſabis igitur tenebras omnes & cæcitatem, hæc enim fortitudo omni alii fortitudini & potentiæ palmam præripiens: Omnia namque ſubtilia & craſſa duraque pene-

trare ac ſubigere poteſt. Hoc modo mundus hic conditus eſt, & hinc conjunctiones ejus Mirabiles, & effectus mirandi, cum hæc via ſit, per quam hæc mira efficiantur, & propter hæc Hermetis Triſmegiſti nomine me appellarunt, cum habeam partes tres ſapientiæ & Philoſophiæ univerſi mundi, conſummatum eſt verbum meum, quod dixi de opere Solari.

SYMBOLUM F. BASILII VALENTINI.

LApis eſt minimè omnium pretioſus, ex quo ignis fugitivus extrahitur, ex hoc autem igne lapis ipſe eſt conſtructus, colore candido & rubro, nec tamen lapis eſt. In hoc lapide natura operatur & fontem limpidum producit, qui Patrem ſuum fixatum aquis ſuffocat, & abſorbet, donec anima ei tandem reddatur, & mater fugitiva in regno ſimilis fiat. Hic etiam lapis potentiam, ac vires magnas acquirit, ſolem ætate præcedit, matre fugitiva per Vulcanum præparata, & Patre per Spiritum progenito. Anima pariter, corpus ac Spiritus in duobus conſiſtunt, ex quibus omnia: ex uno hæc, & unum eſt, fixum & fugitivum conjungens. Hæc duo ſunt, & tria, & unum, quod ſi horum cognitio te lateat, artis effectu fruſtrabere. Adamus in balneo ſiſtitur in

quo

quo Venus ſimilem ſibi reperit, hoc verò balneum ab antiquo illo Dracone, cum vires ac potentiam ſuam amiſerat, præparatum fuit. Hoc verò nihil eſt aliud, inquit Philoſophus, quam duplex Mercurius. In hoc nomen ejus latet, quod omni diligentia, & aſſiduo labore quærendum.

EXITUS ACTA PROBAT.

Pauca hæc, ſed maximi momenti verba Hermetis, ac Fratris Baſilii, ut hic apponerem, conſultum mihi viſum fuit, ideo quod cum hoc meo quod hic deſcripſi, opere, apprime conveniunt. Quod igitur ſæpius dixi, idem denuo hic affirmo, eum, qui Sales, ac inprimis Nitrum, & Vitriolum probe novit, & eorum conjunctionem cognitam & perſpectam habet, in Medicinâ & Alchymiâ probe verſatum eſſe, & Smaragdinam Hermetis Tabulam ſatis ſuperque intelligere Vitriolum, excellentem Smaragdum, & Nitrum, Solis regium infantem Paracelſus & Baſilius prolixe deſcripſerunt, quorum deſcriptionibus hâc vice acquieſco. Prolixiorem de ipſis mentionem in Centuriis meis faciam: Quæ hic adjunxi, certis de cauſis prætermittere non potui.

Ex his paucis autem manifeſtum eſt, quibus viribus Sales polleant, & quæ miracula edant,

quando in Ignem fuſorium conjiciuntur: Talia nimirum Salia, quæ duplici Spiritu supernè affuſo corroborata ſunt. Hi Sales, inquam, pauperis Viduæ non ſolum amphoras olearias, ſed etiam cellas, & horrea Vino & frumento complere ſolent.

Sed nemo ſecius interpretetur, quod ego inter admirandas Salium vires, & S. Prophetarum miracula comparationem aliquam inſtituam. Res enim ipſa hoc ſecum fert, & Naturali lumini, comparationibus ejuſmodi, magnum robur accedit, quâ de re alibi fuſius dicemus. Quicunque Salium naturam & proprietates cognitas atque perſpectas habet, & ignis tractandi aliquâ ratione peritus eſt, ex his facile tantum addiſcet, ut viliorum in meliora Metalla tranſmutationem utilem, facile ſit percepturus. Ad hanc tamen operationem requiruntur artes manuariæ, peculiares furni, & ſingulares Metallorum commixtiones, quorum omnium notitiam habeat oportet, qui cum fructu in his operationibus verſari deſiderat. Tota operatio, cum toto apparatu requiſito, cunctiſque rebus ad eam pertinentibus, hâc æſtate, ſi Deo placuerit, in Laboratorio meo conſpicienda offeretur. Nemo autem miretur, quod Salibus Metallorum emendationem, & tranſmutationem adſcribam, & acceptam feram. Quid dicam & faciam, Dei gratia, ſcio, & meorum hoſtium gannitus & latra-

latratus minimè curo. Hic libellus brevi temporis ſpatio multis incredulis ſomniatoribus veternum ſuum excütiet, & ipſos incitabit, ad ſeriam refutationem tot calumniarum, & mendaciorum, quæ Farnerus, & falſò dictus Sendivogii filius iſte, impudentiſſimis ſuis fructibus eructarunt. Tum demum toti Mundo palàm fiet, an ipſi, an vero ego Veritatem ſcripſerim. Spinæ roſas antecedunt. Victoriæ obtinendæ causâ prius pugnandum eſt. Salutis acquiſitio patientiam ſequitur. Nam ſine patientiâ, pugnâ, & certamine, nemo magni quid conſequi poteſt.

Ideò ſatius eſt in hâc vitâ à malis mala illata patienter ferre, & contrà hoſtibus benefacere, quàm amicis & benefactoribus malefacere, quod à malis hominibus ſæpius mihi factum eſt, & adhuc quotidie fieri ſolet. Attamen firmâ hac ſpe nitor, hâc æſtate à Laboratorio meo tales amicos mihi paratum iri, quorum potentia de meis hoſtibus, & impudentiſſimis mendaciorum atque calumniatorum authoribus, quibus odio & invidiâ merâ inflammatis, Scripta mea tot conviriis & calumniis proſcindere, volupe eſt, pœnam debitam ſit ſumptura.

Dum præſentis hujus libelli ſcriptione occupatus ſum, & Sales veros claves eſſe affirmo ad immaturiora, & viliora Metalla deſtruendum, & in meliora convertendum, atque in Alchymiâ

ſine ipſis nullum fructum acquiri poſſe, imò Metallorum Tranſmutationem à Veteribus non temere aut inconſultò Halchymiam, ſive Salis fuſionem, & liquationem appellatam eſſe; nimirum ideò, ut ignorantibus ſignificetur, Metallorum emendationem, & in meliora converſionem, nonniſi à Sale & Igne proficiſci; Ecce tibi ex Germaniâ allatus libellus famoſus authoris, Typographi, & urbis nomine carens, à bono quodam amico mihi exhibetur, quo Sendivogii filius ille nothus, cui Johanni Hartprechto Starchio verum nomen eſt, de novo horrendas calumnias in mea Scripta evomit, & ea impio more Sophiſticarum fallaciarum, & merorum mendaciorum accuſat. Ac quanquam mihi tantum otii & temporis non fuit ad ejuſmodi convitia perlegenda & examinanda, mox tamen, poſtquam obiter duntaxat inſpexiſſem, ipſum ſtatuere deprehendi, omnes Sales ad tranſmutationem ineptiſſimos, Metallico Generi hoſtes inimiciſſimos, & pernicioſiſſimos eſſe. Libellum dictum, quam primum fieri poterit, refutabo, totique Mundo patefaciam, quam inique, quam impiè, & quàm Diabolice meam innocentem perſonam, & omnia mea Scripta, impudentiſſimus homo adortus ſit. Unum autem hic indicem oportet, quod in præſentiâ neutiquam ſilentio prætereundum eſt. Aut mea, aut falſi illius Hartprechti Scripta falſa, & men-
dacio-

daciorum plena ſint oportet. Etenim ex Diametro ſibi contraria, ſimul vera aut falſa eſſe nequeunt, cum alterutrius Scripta vera, & alterius falſa eſſe neceſſario ſequatur, & tertium non detur. Et ſi ego de meorum Scriptorum veritate, tot ac tantis experimentis, certus non eſſem, mendax ejuſmodi Scriptum Hartprechti, Sales omnes à Metallorum emendatione tam audacter rejicientis, & removentis, tantum mihi terrorem incuſſiſſet, ut mox hæc ipſa, quæ ſcripſeram deleviſſem, & typis mandare non auſus fuiſſem. Sed contrà jam ne verbulum quidem in meis Scriptis, tot in naturâ fundatorum experimentorum confirmatione infallibili ſtabilitis, muto, & audacter meam aſſertionem toties expreſſam repeto; In Metallorum tranſmutatione, abſque Salibus, cunctos labores irritos, & vanos eſſe, id quod Patriæ Magnatibus, hâc æſtate, propriâ meâ manu, oſtendam, & demonſtrabo.

Si ego hujus rei veritatem oſtendero, & Metalla, Salium beneficio in Aurum & Argentum verum tranſmutari poſſe, demonſtravero, quo pacto Hartprechtus contrarium verum eſſe probabit? Nulla ratione nitens opinio ejus, ex diametro Naturæ adverſatur, & δὶς διὰ πασῶν à veritate, Philoſophorum Scriptis contentâ, abeſt, quod, Deo dante, clariſſimis & firmiſſimis argumentis manifeſtabo. Quid? An Metallo-

rum tranſmutationi inepta & noxia eſſent Salia, quibus Metalla in viſceribus terræ ortum ſuum acceptum ferant oportet, cum nullum Metallum reperiatur, quod Vitriolum, & ſimul etiam Sulphur, reipſa Sal exiſtens, ſibi adjunctum non habeat, quamdiu in terræ viſceribus creſcendo augetur. Hinc evidentiſſimè patet, Univerſale illud Agens, cujus ope Metalla ad perfectionem in Terræ penetralibus inferioribus, à Naturâ deducuntur, nihil aliud quam Sal aut ſalſum Sulphur eſſe, aut eſſe poſſe. Cur ergo fieri non poſſet, ut tali Sale Sulphureo, aut Sulphure ſalſo extra Terram, ſi ignis adjumentum acceſſerit, multo breviore tempore, quam Natura ſolet, immatura Metalla maturatione commoda emendentur, & in meliora convertantur? Totius igitur hujus noſtri negotii cardo jam in experimento, & probatione verſatur, eoque tota res progreſſa eſt, ut alteruter noſtrum erroris convincendus & tàm craſſi erroris convictus, à toto Mundo craſſus & ignorans Aſinus habendus, & ſibilis explodendus ſit. Sed frontem perdidêre ejus farinæ homines, quibus perindè eſt, ſive honorem, ſive infamiam actionibus ſuis conſequantur; Proſtibulorum inſtar, coràm toto mundo, corpus proſtituentium, infamiam ſuam divulgant. Sed plura de his dicere ceſſemus, eadem fuſius tractaturus, quamprimum tempus & otium ſe obtulerint.

Pauca hæc eam ob cauſam hic manifeſtare volui,

lui, ut unuſquiſque compertum habeat, quantum de Patriâ bene merendi ſtudium meum ſit, & quantum boni Scriptis meis, utiliſſimarum doctrinarum plenis; in commune Publicum contulerim, & adhuc quotidie conferam, & in poſterum me collocaturum offeram.

Quidnam quæſo aliæ Nationes de actionibus ejuſmodi dicent, & judicabunt, ut primum libellos tot convitiis & calumniis refertos inſpicient. Num in alia quàm in hæc verba erumpere poterunt? O Germania, ingrati animi oblivione deponens memoriam tuorum benefactorum, quorum, de te benemeritorum, beneficiis devincta es, ut ipſis benefacias, quibus tamen è contrario, ut omnis injuria, à malis & perverſis hominibus, oriatur, permittis, & conniventiâ tuâ concedis. Forſan illi, quibus talia impediendi eſt poteſtas, ſuam conniventiam ita excuſare poſſent: Quid cum litigiis ejuſmodi nobis eſt negotii? Unde nobis conſtat, uter veſtrum juſtè aut injuſtè agat? Quo pacto lites ejuſmodi dijudicaremus? Sed Scripta mea nuper in lucem edita, & labores in Laboratorio meo peracti, præterito anno, ſatis apertè teſtantur, quod jam præcipuorum Arcanorum, quorum in Scriptis meis mentionem feci, veritatem publicè & privatim demonſtraverim, & manifeſtaverim. Quæ autem annus elapſus reliqua fecit, eorum demonſtrationem,

hac æſtate futuram, præſens hic libellus pollicetur.

Quis Scriptor vivus unquam Scriptorum ſuorum veritatem experimentis evidentiſſimis demonſtrare conatus eſt? Nullus omnium, niſi GLAUBERUS.

Nullum igitur mihi dubium eſt, quandoquidem hic parvus libellus tanta commoda, & tanta emolumenta Patriæ offert, non ſolum ex vulgo, ſed etiam ex Magnatibus plures repertum iri, quibus ejuſdem lectio non tædioſa futura ſit.

Si igitur ad pios, & conſcientiæ, atque veritatis rationem habentes homines pervenerit, uti nullum dubium eſt, fieri non poterit, quin jure illi, à quibus odio & invidiâ inflammatis, Patriæ ſalus communis tàm nequiter impeditur, ad debitam reſponſionem cogantur, & meritæ pœnæ ſubjiciantur.

Ut autem palam fiat, quibus incommodis & detrimentis, Patria ab ejuſmodi malorum & perverſorum hominum Scriptis, convitiorum, & calumniarum plenis, affici queat, paucis exponam.

Primò neutiquam fieri poteſt, ut tales libellos famoſos ſine refutatione juſta dimittam, qui nominis famam honeſtam, omnibus opibus & theſauris Mundi, pluris facio. Ipſi Ethnici pii & honoris amantes, vitæ famam bonam

bonam ſemper æquipararunt. Idem cur nobis Chriſtianis non eſſet faciendum? Cauſa igitur & occaſio mihi oblata eſt à propoſito meo honeſto aliquantulum deſiſtendi, & præſens tempus honeſtæ meæ famæ defendendæ impendendi. Unde neceſſariò tranſmutationis Metallorum demonſtratio tamdiu mihi differenda, & in aliud tempus rejicienda eſt, donec Apologetico Scripto dicti Calumniatoris, Johannis Hartprechti, calumnias à me removeam.

Licet igitur jam plæroſque Patriæ noſtræ dilectæ Magnates certiores reddiderim, quod præſentis hujus anni 1660. Menſe Junio, omnia parata eſſent apud me futura, ad demonſtrandam veram, & omni fucò carentem, ac admodum fructuoſam Metallorum imperfectorum in verum Aurum, & Argentum tranſmutationem; ſtatuto tamen tempore illo, dictæ demonſtrationi vacare mihi non licet, quippe multo magis neceſſario labore occupato, ut qui ſurreptam mihi nominis mei famam defendere, pro virili mea, in animum induxi: Propoſiſitum itaque opus in ſequentem ad minimum menſem rejiciendum eſt. Si autem interea temporis Deo placeret, ex mortalium cœtu me evocare, annon hoc utiliſſimum opus Patriæ ſubtraheretur? Ac quanquam eò res devenerit, ut nonnulli ex fidelibus meis Diſcipulis, dictæ Tranſmutationis Metallorum, quam Pa-

triæ

triæ meæ lubens, & ex bono animo, publicè communicandam obtuli, compotes facti ſint, ac proinde ipſa mecum interire nequeat; ita tamen cum ea comparatum eſt, ut homines illi honeſti, quibus perfida illa inimicorum meorum malitia, ſatis ſuperque jam innotuit, proculdubio religioni ſibi ducturi ſint, in ejuſmodi locis, ejuſmodi homines, magni momenti rerum participes reddere, qui bona malis rependere ſolent. Eas potius regiones, ut puto, tantis theſauris dignabuntur, quæ omnino dabunt operam, ne horum excellentium, imò regiorum, ac Patriam infinitis commodis afficientium Secretorum inventores, & authores, ullo incommodo, aut ulla injuria afficiantur. Atque hoc primum, & haud parvum damnum eſſet, quod Patriæ inferri poſſet.

Secundum hoc eſt: Ex Diſcipulis meis nonnulli jam, mei Salis Mirabilis cognitionem aliquam, à me docente, conſequuti ſunt, & diligenti perſcrutatione eò pervenerunt, ut hic in Belgio, Tranſmutationis particularis, imperfectiorum in perfectiora Metalla, demonſtrationem, pro certa ſumma pecuniæ, oſtendendam aliis obtulerint. Si jam à perverſis hominibus impediar, quominus Patriam meam tanti Secreti participem faciam; ipſi tamen, ut facile quis conjectura providere poteſt, interea non ceſſabunt, ſed aliis Nationibus tam

utilia

utilia Arcana manifeſtabunt. Annon igitur hoc pacto illa Patriæ ſubtraherentur, atque ad alios derivarentur? Quis igitur tanti damni cauſa & occaſio eſſet, niſi ejuſmodi libellorum famoſorum fabricatores, qui ſolo odio. & merâ invidiâ excitati, meam Perſonam, & omnia mea Scripta, nullo diſcrimine habito, falſiſſimis calumniis ſugillant, & ratione nequiſſimâ peſſundare moliuntur. Sed qui patienter totius rei exitum præſtolabitur, is videbit, neceſſario futurum eſſe, ut hoſtes mei in illam ipſam foveam illapſuri ſint, quam tàm perfidâ & impiâ molitione mihi foderunt. Veritas, quibuſcunque viribus à Satanæ mendacibus Spiritibus & miniſtris etiam oppugnetur, nunquam tamen opprimi poteſt.

Ad Alchymiam redeo, de ipſa apertè opinionem meam detegens, & firmiter aſſeverans, Sales ſolos viribus pollere, immatura Metalla lavandi, maturandi, & perficiendi. Huic ſententiæ qui ſe opponunt, calcibus ſtimulos feriunt, aſininas ſuas aures conſpiciendas præbent, & coram toto Mundo ſe turpiter dantes, ſibi ipſis ignominiæ maculam turpiſſimam inurunt.

Sed diceret hic aliquis; Si Halchymia Salis eſt fuſio, quo pacto unquam fieri poteſt, ut ex Sale Aurum & Argentum fundendo eliciatur? Si Aurum ipſi ineſſet, annon faciliori ratione,

tione, quam fuſione per ignem, elici poſſet? Reſpondeo, rem non ita accipiendam eſſe, quaſi nudâ Salis fuſione, & liquatione Auri maſſæ ingentes acquiri poſſent. Minime gentium. Sed quando Metalla, cum Salibus legitimè adjunctis, ignem fuſorium experiuntur, in illâ fuſione vires ſuas in Metalla exerunt, & ita ad maturitatem deducunt, ut Aurum & Argentum expromant. Nam Salia ſunt Agentia Univerſalia maturantia, tam in Sicca quam humida via, ſicuti ex Tertia & Quarta Proſperitatis Patriæ Parte, liquido conſtat, adeo ut plura de hac re verba facere non opus ſit.

Ne tamen hæc alicui nova, aut penitus abſurda eſſe videantur, in omnibus Salibus, ajo, Spirituale Aurum reconditum latere, ſed ſine Metallorum additione ex ipſis extrahi non poſſe. Cuncta enim à Sole, generata, aucta. & ſuſtentata, quibus etiam minimum Vegetabile annumerandum, fugaces Solis radios reconditos continent, qui artis beneficio corporales & fixi reddi poſſunt. Docui hoc & demonſtravi prolixius, in Miraculi Mundi Secunda Parte: Docebo idem in Prima Centuria Appendicis meæ Generalis; omnia mea Scripta clarioribus notis illuſtraturæ, & evidenter oſtendam rationem, qua tam per Siccam, quam Humidam viam ex Sale Marino, verum & naturale

rale Aurum, præcipitantis cujuſdam materiæ beneficio, acquiratur. Alicujus momenti emolumentum non affert hæc operatio, ſed revera poſſibilem ſe eſſe demonſtrat. Ille verò, cui modus innotuit, vera & debita Metalla cum legitimis Salibus conjungendi, & debitâ ac verâ fuſione tractandi, ex omnibus imperfectis Metallis, haud abſque parvo emolumento, Aurum, & Argentum eruet, id quod præſente hac æſtate, Deo adjuvante, in Laboratorio meo, monſtrabitur.

Evidentioris probationis ergo, operæ pretium videtur, hiſtoriam adjungere, ex Itinerario Wilhelmi Litgou Angli, qui Italiam peragrans, in Siculâ urbe Trapundiâ, multum Auri ex Sàle Marino excoctum ſe vidiſſe teſtatur. Quæ res quandoquidem meæ ſententiæ aſtipulatur, ipſius Authoris verba, Latino ſermone veſtita, ſubjungam.

Quarta Siciliæ urbs eſt Trapundia, in Occidentali latere ſita, & Biſertæ urbi, in orâ Africæ Barbaricâ ſitæ, oppoſita, quæ purum Aurum reddit, quod à mercatoribus in Italiam, Venetias, Dalmatiam, & Græciam exportatur. In quibuſdam artificioſis Salinis, ſive Salium fodinis à Solaribus radiis vehementioribus excoquitur, quæ ſingulis menſibus replentur, & evacuantur. Sal autem hic in litore maris colorem habet, rubore rubino, aut corallis reſpondentem; cujus elaboratio ferè dimidiam civitatem

occupatam tenet. Ipſum Aurum purgatum per totum Chriſtianum Orbem diſtribuitur.

Hæc dicti Authoris Angli verba ſunt: de re ipſa mihi nihil certi conſtat; ſi quis rei veritatem explorandi cupidus eſſet, eam facili negotio indagare poſſet. Quantum ad me attinet, narrationi huic facile fidem adhibeo, propter montem Æthnam, perpetuo ardore in iſta Inſula æſtuantem, & ipſum Sulphur, quo tota terra Sicula abundat. Etenim omninò veriſimile eſt, quando Inſulæ hujus Incolæ, in maris litore, ex aquâ marinâ, pro neceſſario ſuo uſu ſibi Salem conficiunt; more calidarum iſtarum Regionum omnium, in terrâ foſſas effodiendo, & aquam marinam immittendo, quod calidi radii Solares inutilem aquam dulcem, per vapores disjiciant, & aqua illa Salis, inſigni acredine prædita, Sulphur ex terrâ, quo hæc ubique abundat, extrahat, idque Solaris caloris adjumento conſtans, corporale, & fixum reddat, ut poſtea in fornace fuſoriâ in Aurum liquari poſſit. Cum igitur calidiſſimi Solis radii, & Aqua Salſa, vulgare Sulphur terreſtre, in Aurum mutare poſſint, quidni idem quoque ignis, Salis, & artis beneficio præſtaretur?

Quod unumquodque Aurum ab initio ex puro Sulphure, in Terrâ naturaliter natum ſit, nemo revera inficias ibit. Quod Sulphur quodlibet Salis & Ignis adminiculo in naturale Aurum figi & mutari queat, quotidiana Experien-

tia

tia teſtatur, non ſolum in meo, ſed etiam Diſcipulorum meorum Laboratorio, quæ ad oculum demonſtrat, & manuum ipſarum operatione confirmat veritatem eorum, quæ in Secunda Parte Miraculi Mundi, de his rebus tradidi.

Illud, quod in veteri hymno, Patrum Veteris Eccleſiæ, occurrens, nimirum, qui ex Virgis fecit Aurum, & gemmas ex lapidibus, ignorantibus adeò paradoxum, novum, atque incredibile videtur, & ex quo Sanct. Johannes Euangeliſta ex ligneis baculis aurum, & ex vulgaribus lapidibus gemmas confeciſſe colligitur, paucis ego verbis verum eſſe, poſſem demonſtrare, nimirum ita.

Sulphur vulgare, aut quodvis Vegetabile ſolve communi Sale, quæ ſolutio Sulphuri rubrum colorem conciliat. Hanc ſolutionem unius ſaltem horæ ſpatio in igne retine, parum Sulphuris in Aurum mutatum comperies. Rubro Sali calcem Saturni adjunge, perfuſionem in unum corpus colliqua, ac per cupellam reduc plumbum, Auri granum invenies, nullum quidem emolumentum reddens, ſed artis certitudinem & poſſibilitatem demonſtrans. Si quis verò hanc operationem inſigni copiâ, ut hâc æſtate in Laboratorio meo fiet, tractandi peritus fuerit, de detrimento non conqueretur, ſed ſemper emolumentum ſentiet.

Sed hæc de Auro, ex quovis Ligno, aut quacunque

cunque herbâ, Salis & Ignis operâ, confici
dicta ſufficiant.

Videamus nunc, quâ ratione ex ligno,
herbâ quâvis, Sale adjuvante, multipliciun
lorum lapides parari queant. Sali rubro, e
gno confecto, parum pulveris, ex ſilicibu
bis contriti, adjunge, in crucibulo igni in
ſito funde, ut vitrum rubrum rubino c
propemodum reſpondens evadat: Si diutiu
fuſione continueris, rubro colore in viridem
tato, Smaragdi ſimilitudinem habebit: H
colorem cœruleus ſubſequetur, Sapphirun
ferens, cui flavus ſuccedet, Hiacintho
abſimilis; diuturniore igne tandem ad ni
rem abiturus, & Agatho ſimilis futurus.
hi lapides quidem vulgari vitro duriores
ſunt, ſed coloribus ſuis & pulchritudine
turalibus lapidibus pretioſis exactè reſ
dent.

Arcana hæc duo externa quidem ſpecie
admodum ſpectabilia, ſed tamen ex quov
gno, aut Vegetabili, Aurum extrahendi
ex albis ſilicibus, multiplicium colorum
pes, conficiendi modum docentia, Benev
Lector, cui muneris loco in mei memo
eadem offero, non tam parvi momenti eſſ
bitretur, quam parvi momenti quidem hîc
parent, ſed fundamentum ſibi ad majora Se
ta perveniendi detectum eſſe credat. De n
bilibus ejuſmodi, & hactenus Mundo ign

Tr